Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 715

Quelle:
Copyright:

rius productum fuisse puto, sed excidit Membrana. Distinguit *Anacletum* a *Cleto*, inter *Felicem* I. et *Eutychianum*, nescio quem *Potianum*, interserit, cui dat *annum 1. mensem 1. diem* 1. *Sabinianum* facit *Fabianum*, *Theodorum* omittit, pro *Dono Bonum* et pro *Conone Bononem* scribit. Plures ejusmodi Catalogos utroque *Vol.* indicavi.

CCCXXXIII.

R. 20 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 232. f. per duas columnas non una manu, nitide sed multis compendiis vocum exaratus, minioque distinctus varia complectitur D. *Augustini* Opera partem genuina, partem spuria, quorum haec series: I. *Incipit liber questionum sancti augustini episcopi octoginta quinque.* Repone *trium;* ita enim Autor ipse L. I. *Retract. c.* 26. qui locus etiam ipsi *Codici* una cum Elencho Quaestionum praefixus est. At vero Elenchus iste praeterquam, quod ordine Quaestionum ab edit. *Maur.* T. VI. differat, omissa Q. XXXI. quae *Ciceronis* locus est, tres alias inserit, qua ratione utique Quaestiones *Octoginta quinque* conficiuntur. Inserit autem Q. XLV. *De magis pharabonis*, Q. LXIV. *Eum, qui ut uult uiuit, beatum esse*, et Q. LXXX. *De pascha*, quae irrepserunt e *Libro* ἀδεσποτῳ XXI. *Sententiarum* a *Maurianis* in *Append. T. cit. col.* 1. merito reposito, ubi locum IV. I. et II. tenent. Cum autem Editores hi non nisi unum Exemplar *mſ.* se nactos dicant, e *Cod.* nostro sequentia observo. Q. XLV. seu IV. pro *beneficium impetrare* legit *perpetrare*, et *inferiores potestates* pro *aeriae*. Q. LXXX. seu II. *ut invictus comprobetur* pro *virtus comprobetur*. *Quarta decima luna* pro *die*. *Malitia corrupta* pro *malitiae corruptae*. *Corpora quippe* pro *corque jecurque*.

II. *fol.* 24. sequitur: *Expositio quarundam propositionum ex epistola pauli apostoli ad romanos. Sancti augustini episcopi.* Praeit etiam hic Censura e L. I. *Retract. c.* 23. ipseque Liber incipit: *Sensus hi sunt in epistola ad romanos pauli apostoli* &c. et finit: *Quorum deus venter est.* Ut edit. *cit.* T. III. P. II. *col.* 901.

III. *fol.* 30. p. 2. *Incipit Liber Augustini de penitentia.* Initium: *Quam sit utilis et necessaria penitentie medicina* &c. Sermonem CCCLI. fecerunt *Mauriani* T. V. *col.* 1350.

IV. *fol.* 34. praevio loco L. II. *Retract. c.* 6. *Incipit liber primus confessionum Augustini.* Initium: *Magnus es domine et laudabilis nimis* &c. Finis Lib. XIII. *Sic invenietur, sic aperietur. Amen.* Ut edit. *cit. T. I. col.* 69. Sed nobis adhaeret: *Oratio augustini de primo libro soliloquiorum* hoc initio: *Deus uniuersitatis conditor presta mihi* &c. et fine: *habitatorem beatissimi regni tui. Amen.* Itaque Libri praedicti *Capita* 2.—6. ut T. *cit. col.* 355.

V. *fol.* 79. p. 2. *Augustinus de diffinitionibus ecclesiasticorum dogmatum.*